

Gamlebd.

010

dk,

24

DE
PROVIDENTIA DIVINA
ERGA PROFANOS ANTE NATVM SERVATOREM,
COMMENTATIO PRIMA

QVA
DIEM FESTVM
NATI IESV CHRISTI

PIO CVLTV CELEBRANDVM
INDICIT
AT QVE
AD ORATIONEM SACRAM
A. D. XXV. MENSIS DECEMBR. AD HOR. XII.
IN ILLVSTRIS AVG VSTEI TEMPLO
AVDIENDAM

ILLVSTRISSIMOS, ILLVSTRESQVE,
SVMME ET PLVRIMVM VENERABILES,
PRAENOBILISSIMOS, DOCTISSIMOSQVE PATRONOS
ET FAVTORES ATQVE ILLVSTRIS AVG. CIVES
GENEROSSISS. ET NOBILISSIMOS

HUMANISSIME INVITAT

IOANNES GEORGIVS WALThER,
SERENISSIMI DVCIS SAXON. QVERFVRTENSIS ET WEIS-
SENFELSENSIS CONSILIARIUS, PROFESSOR PVBL. ORD. HISTO-
RIAR. LITTER. HUMANIORVM, PHILOS. MORAL. ET POESEOS,
AC RECTOR ADI. ILLVSTRIS AVG VSTEI.

PROVIDENTIA DIVINA
ERGAE PROLATIONIS ANTE NATUM SEQUITOREM
COMMUNICATIO FIRMI

CAT

DIE M E S T A M
NATI IESU CHRISTI

PIO CALTA CERTORUNDAM
IDICIS
AD OSTATIOMENI SACRAM
AD XIXI MENSIS DECEMBRIS AD HORAM XI
IN ILIVADTIS MAGNETIBI TEMPLO

ILLUSTRESCITUR HABITUS
SACRAE MARCHANTIA PATRONOS
MARCHIORUM DEDICATI ET CIVITATIS
CIVITATIS ALIAS DEDICATI ET CIVITATIS

COMMISSARIIS GRODNOVIT
HABITUS MARCHANTIA PATRONOS
MARCHIORUM DEDICATI ET CIVITATIS



umen diuinum, quod in administrando hoc
 terrarum orbe sapientissime versatur, consilia
 iam sequitur interiora, iam posita in promtu:
 quae tamen vtraque, cum terris perspicua,
 diuino beneficio, fiunt, in omnium incurruunt
 oculos, et mirabiles sui amores efficiunt; mortales vero, qui
 eorum sapientiam insignem venerabundi intuentur, rapiunt
 in admirationem atque in stuporem. Consiliis hominum in
 aprico collocatis, saepe tantum infractae malignitatis recessus
 et tenebrae patent: diuinis in lumine positis, semper clarissi-
 ma lux nobis affulget cum sapientiae tum bonitatis diuinae.
 Praesertim prouidentia, cuius nobilissimas partes sibi vindicat
 felicitatis, nobis parandae, ratio, etiam plurimum inexplicabi-
 li vtatur via, tamen hinc atque illinc relinquit vestigia, et
 grandia illustriaque benignissimi numinis documenta. Vel
 craftinus dies, quo, abhinc mille septingentis quadraginta qua-
 tuor annis, D E V S hominem induit, quantam aperit prouiden-
 tiae scenam; siue tempus respiciatur, a vatisbus praedictum,
 siue aptissima ad diuulgandum sub imperio romano, orbis ter-
 rarum facies, siue ipsa denique doctrinae morumque corruptif-
 sima ratio. Sed non solus hic est, in quo numen excurrit
 prouidentissime, campus. Ipse orbis antiquus ante natum
 saluatorem, per quater mille annos, eadem est mente admini-
 stratus, eandem prodit procurandae salutis humanae curam, et
 paribus fere abundat propensissimae voluntatis monumentis.
 Iam inter omnes constat, vniuersum illud genus humanum de-
 scribi solitum in profanos homines et Iudeos siue Hebreos.
 Atqui horum tantus, fertur, cum D E O immortali vfit, tantus-
 que huius in Abrahami posteros amor effusus, vt omnes omni
 aetate attoniti gentis felicitatem intuiri essent. Testantur hoc
 domestici, et diuinitus moti, scriptores: testantur externi, ab
 iliorumque sacris alieni. Neque mediocris fuit in profanos
 homines, et commenticiorum Deorum cultores, gratia diuina,
 qua vel superstitionem, fusam per orbem terrarum delere, vel
 doctrinam salutarem abdere in animis hominum voluit. Sed
 harum rerum cognitio, fateor, impedita est vehementer. Vi-
 deo

IV.

deo earum diligentissimos diiudicatores ad tria potissimum posse reuocari genera. Alii nimiam tribuunt profanis ante noui foederis tempora cognitionem, eamque proprius abeuntem ab reuelato cultu : ali contra peregrinam ipsis, et fere nullam, relinquunt notitiam. Tertium est eorum genus, in quibus et meum profiteor nomen, qui medium ferire conantur, atque interpositam, inter commemorata duo extrema doctrinam, a me nouis aliquot accessionibus ornandam, tueruntur. Reliquos praetereo, qui vel lumen gratiae insitum fuisse profanis ad salutem consequendam, putant; vel modo ad gratiam extraordinariam, tamquam ad sacram ancoram, configunt; vel medium post mortem ad emendandam vitam falso inducunt statum. 1)

Cum superiore proximo saeculo, in primis Petro Baylio canente classicum, atque ornante Pyrrhonis Manetisque infelices conatus, acerrima mouerentur de omni prouidentiae genere certamina, singularum partium afflaciae, ut causam sustinerent suam, coelum terramque mouerunt. Has commentationes, quantum earum fuit facultas, diligenter legi, atque occasione hac data, cum fontes ipsos adirem, omnesque compararem: sequentes salebras, comperi, conatus meliores vehementer impediuisse. Primum profanorum astutia, qui, multa ad Iudeorum et Christianorum mentem differendo, nouum paene religioni sua habitum inducebant. In primis hi, veteris superstitionis possessione pulsi, cum ad argumenta Christianorum respondere non possent, et tamen surgenti se oppnere vellent ciuitati DEI, Theogoniam suam ad nescio quas rugas, quam poterant callidissime, torquebant 2). Hinc natae inanies, quas in animo habuisse ferebantur Deorum architecti,

1) Historiam rei controversae suppeditant Io. Gerhardus in confess. cathol. L.I.P. I. Art. 2.p. 509. seqq. Io. Bapt. Cotelerius ad Hermiae Pastor. L.II. §. 16. n. 44, in patrum apostol. a Io. Clerico, editorum Vol. I. Io. Henr. Heideggerus in dissert. duabus de religione communii, I. F. Buddeus in animaduictiōibus in P. Chauini librum de religione naturali C. I. §. 1. seqq. vid. Parerg. hist. Zacharias Grapius in Theol. recens controv. P.I. Q. IV. p. 20. alii.

2) conf. Io. Clerici expl. historica fabulae Adonis sub initium Tom III. Biblioth. vniuersit.

eti, subtilitates. *Porro*, cum profani supponendis libris, compilandisque Christianorum scriniis, operam darent, ducti saepe falso gaudio veteres et recentiores seruatoris asseclae, elusique horum conatus, ut dubiis superstitionem peterent telis. Operae pretium est in diiudicandis ludis, quos hi reddiderint, ornando rem christianam inquis donis, in consilium adhibere duumuiros nostrae ecclesiae, alterum Saxonie superioris, alterum inferioris, ingens ornamentum, Godofredum Olearium, et Io. Laurentium Moshemium. 3) *Tum* multis, has res antiquas tractantibus, antiqua non erant commode suis temporibus diuisa. Proinde cum temporum descriptio Huetio, Stanleio, Spencero, Dickinsono, aliisque deesset, inextricabilibus se nodis nonnunquam inuoluunt; ut taceam ipsas res quam plurimas orbis antiqui actas gestasque, easque illustres, adhuc sepultas tenebris esse, ut imperii aegyptiaci rationem, ut Phoenicum studia, ut Assyriorum et Babyloniorum fortunam. *Po-*
stremo in salebris numero argumenta, ducta ab similitudine aliqua sacrorum vtriusque religionis, cum profanae tum hebraeae, 4) quae miras confusiones temporum, locorum, hominum inuexerunt. Abundat his, ut reliquos taceam, Tobiae Pfanneri theologia gentilis, abundat Huetii demonstratio euangelica, abundat denique Gerh. Io. Vossii ceteroqui doctissimus de idolatria liber. Facile est, in primis consideranti solum verba quaedam, nativis sedibus auisfa, vbiique aliquid in graecis latinisque auctoribus deprehendere simile mosaicae doctrinae.

Alli, in alia omnia abeunt, nullam Deorum cultoribus germani cultus diuini cognitionem tribuebant. Profanos homines densissimis obrutis fuisse tenebris. Nec famam nec rumorem ad hos de Iudeorum sacris peruenisse, quod populus DEI indefinenter sciunctas ab illis habuisset sedes, in Asia-

A 3

que

3) Gottfr. Olearius in *dissert. de philos. Ecclætica C. III. p. 1210.* in extrema hist. philosophica Stanleii; et Io. Laur. Moshemius in *dispp. de ecclæsia per recentiores Platonicos turbata, in Cudworthi System. et de studio Ethnicorum Christianos imitandi habita Helmst. C. 1300 CCC XXX.*

4) conf. Io. Albert. Fabricii bibliographia antiquar. C. 2. p. 29.

VI

que angulo, eoque montibus et desertis clauso locis, degisset. Quin reliquos mortales nec potuisse nec voluisse sacris hebraicis initiari, propterea quod haec modo ad domandam Hebreorum ineptissimam gentem data fuissent, incredibileque odium obstitisset omnium gentium aduersus Iudeos. Profanis suffecisse insitam DEI notitiam, gratiamque, quam dicerent, reprimenterem. Atque haec a multis, etiam doctoribus ecclesiae antiquis, quos patres usurpamus, magno identidem eruditioonis apparatu disputata 5).

Qui medianam tuebantur sententiam, plerumque se intra scripturae sacrae recipiebant munimenta, DEI sapientissimi explicabant propensissimam voluntatem, huius in res creatas dominium, recondita consilia, vindicantes difficillima loca 6), atque afferentes trinam numinis vocationem, primum Adami temporibus, tum Noachi, et tandem Apostolorum 7). Ideo ne haec sunt ad confirmandos purioris cultus germanos assertores. His enim est, ut debet, auctoritas diuina, satis nixa litteris, sublimior atque excelsior, quam ut eo vis ista contortarum conclusionum, humili digladiantium, et vix de puluere se scholastico extollentium, peruenire queat. Sed forte ingratum non erit, si melioris causae praesidia aliqua arcessuero ex historiarum veterum monumentis. Non omnia vero, spectantia ad fictorum Deorum cultores, his comprehendam commentationibus. Et infinitum hoc foret, et plane abhorrens ab instituto meo. Saltim comprobare annitar, potuisse innoscere omni tempore Hebreorum sacra profanis hominibus atque innotuisse. Ipsum DEVUM, ostendam, Hebreis rerum suarum eiusmodi fixisse sedes, ut clarissimae res, diuinitus inter eos factae, amplissimum semper theatrum haberent, in luce que

5) Vossius in hist. Pelagia. Lib. III. Part. III. p. 383. 384. Christ. Matth. Pfaffi comm. de luminis naturae ad salutem habitu p. 5. seqq. de Eusebiana autem doctrina, a Melodio ad partes tracta, meliora docet Vir summus D. Salomo Deyling in Eusebiano doctrinae salutificae Systemate Sect. II. C. 1. Inter recentiores praeter alios Petrus Baylius in Dictionar. historico Tom. IV. p. 2989. et ante hunc Ed. Baro Herb. de Chisbury duob. libellis, de veritate, et de causis errorum.

6) Matth. XX. 16. XXII. 14. PL. CXLVII. 19. Act. XVII. 12.

7) Quenstedii Systema Theol. T. II. p. 668.

que orbis terrarum gestae, in plurimarum adeo gentium con-
spectu et paene in oculis defigerentur. Tantum abesse, vt
nulla ad ethnicos rerum iudaicarum fama fuisset delata, vt po-
tius nihil esset nomine hebraico quondam in orbe terrarum,
censemendum, illustrius. Gentium vero in Iudeos odium, com-
probabo, multum post Ptolemai Philadelphi inualuisse tem-
pora, nec commune putandum esse.

Age igitur, conferamus nos, breui hac commentatio-
num reliquarum quasi prolufione, in antiquissimum orbem, et
quae ante et sub Abrahami aetatem fuerit cum religionis, tum
civilis status, facies, ac quae causa Deum immortalem ad seiu-
gendos Abrahami huius posteros a ceteris gentibus impule-
rit, videamus.

Cum hinc atque illinc secederent gentes ex Babyloniae
agro, moliminibus nobilitato turris exstruenda: tum super-
stitioni, constat, occultum esse primo allatum incrementum,
deinceps hanc, medium inter varia, quae temere fert vita,
studia peregrinationis, agriculturae, nauigationis, inualuisse
palam. Hinc remissus primum desidensque cultus diuinus
cernitur ante Abrahami tempora, deinde magis ac magis per-
uersis hominum studiis adeo lapsus, vt breui ire coepit
praeceps religio, aetate Abrahami, donec ad Mosis tempora,
quibus haud vulgaria sufficerent remedia, peruentum est. In
praesentia tantum vetustissima tangam Idolatriae genera, ea-
que in Abrahami aeuum cadere visa. Ab Aegyptiis enim
cultus diuinus demum in animalia post Iosephum, Iacobi fi-
lium, deuolutus 8). Palaestiniae etiam incolae non omnem DEI
vnus venerationem deposuerant, testibus Melchisedeko et
Abimelecho. Haud scio, an idem de Arabibus et Persis, auto-
re Hydio, sit confirmandum 9).

Nimirum primi mortales, rerum omnium egentes, in re-
motas delati, incultas, ac densis obsitas filuis, terras, leuia sae-
pe prudentiae indicia honoribus sunt prosecuti diuinis. An-
tiquissi-

8) vid. Samuel Shuckfords Harmonia sacrorum et profanorum Script. Vol. I.
p. 223. 224. seqq.

9) Thomas Hyde in Relig. veter. Persar. Cap. 3.

VII

tiquissimus fuit, Plinio auctore 10), mos referendi bene merentibus gratiam, cum eiusmodi numinibus adscriberentur. Elegans est in primis sententia Euhemeri, praestantissimi philosophi, qui Cassandri, Macedonum regis, aetate, acerrima in Deorum fictorum cultores libris suis coniecit tela. Hic aut fortis, aut claros, aut potentes viros, tradit, auctore Cicerone 11), post mortem ad Deos peruenisse, eosque esse ipsos, quos colerent, precarentur ipsi et venerarentur. In hominum quondam incomposita et rudi vita, pergit Sexto Empirico teste 12), qui ceteros superarent viribus et potentia, adeo ut ex eorum iussis omnes viuerent, quo maiori admirationi et venerationi essent, sibimet ipsis affinxisse quandam excellenter diuinam potentiam. Excellens Euhemeri ingenium, quod irridebat fictos deos, Atheismi macula est quondam aspersum, quam Io. Iacob. Zimmermann et Iacob Bruckerus deleuerunt 13). Ad saeculi Abrahamici simplicitatem refero porro Prodigii sententiam, qua ob utilitatem, putat, itidem Sexto Empirico, et Ciceron, auctoribus, soli et lunae et fluuiis et fontibus tributos diuinos honores 14). Chaldae, inter quos degit Abraham, Astronomiae operam dando, cum siderum motus, solisque vim in orbe terrarum venerabundi contemplarentur, dicuntur primum de geniis et praesidibus stellarum diuinis intulisse sermonem, horumque cultum suasisse agricolis 15). Porro nauigatio maris, quae Abrahams aetate coepit, ut deinceps ostendam, videtur admodum superstitionem auxisse. Sumamus iis, qui vndis ventisque primum se crederent, interfuisse homines Terentiano thraconi similes, quibus leuitate et timiditate plerumque mistum est superbium ingenium. Quid vero hi, cum sentirent, stagna imis refusa vndis, ac

magno misceri murmure pontum.

Lega-

10) Plinius in histor. natural. Lib. II. C. 7.

11) M. T. Cicero Lib. I. de Natura Deorum Cap. 42.

12) Sextus Empiricus adu. Physicos Lib. IX. p. 561. edit. Io. Alb. Fabricii.

13) Iacobi Bruckeri historia critica philosophiae Tom. I. p. 605.

14) Ciceronis et Sexti Emp. loc. excit.

15) conf. Samuel Shuckfordi harmonia T. I. p. 215. seqq.

Legatur modo Tacitus et Seneca de Germanici expeditione nautica, vbi, quid de rebus marinis alucinati sint Romani tum, cum res nautalis tanto annorum decursu iam esset exculta, cognoscet 16). Plutarchus confidenter narrat, propter Britanniam totas insulas Daemonibus innumeris refertas esse 17).

Atque haec erat religionis profanae forma sub Abrahami aetatem. Nunc orbis ciuilis adumbranda, sed paucissimis, ratio. Alio iam in loco docui, debere expeditiones Nini et Semiramidis reiici in tempus ante relictam ab Abrahamo Chaldaeam 18). Sed illi Afiae victores et populatores non domini, confectis bellis, euaserunt 19). Cum Abrahamus ex Chaldaea in Palaestinam veniret, singulis fere oppidis singuli praerant reges. Ad hoc tempus insigne refero Strabonis testimonium 20). Idem potest de Arabia, de Aegypto, de Asia minore, de Graecia confirmari. Parum abest, quin hosce reges aut pares aut inferiores credam Abrahamo, qui ab Nic. Damasco rex nominatur. Teste scriptura sacra, maxima erat hic Abrahamus auctoritate apud reges plurimos in Palaestina, Arabia et Aegypto.

Phoenices maris imperium tenuerunt. Testis est locupletissimus Caſtor Rhodius, qui θαλασσοπεριταγη diligentissime explicauit 21). Cum vero Cecrops aegyptius, qui Patriarcharum aetatem attingit, phoeniciis nauibus peruenisse dicatur in Graeciam, ipſique Aegyptii per Phoenices Graecis innouifent 22): sequitur, ut Phoenices iam Abrahami aetate nauigauerint

16) Corn. Tacitus in Annal. Lib. II. Cap. 23. 24. p. 179-181. edit. Gronou. Seneca Suafor. Lib. I. p. 11. add. Viri Illustris, rerumque historiarum incomparabilis diuidicatoris, Io. Iac. Macouii commentarii rerum Germanic. Tom. I. Lib. IV. p. 96.

17) Bernh. de Fontenell. hiftoire des Oracles Chap. IV.

18) in Proluf. mea de Herodoto et Ctesia p. XXI.

19) Comm. mei de primis Afias Monarchis p. 33.

20) Strabonis Geographia Lib. XVI. p. 1094. ed. Almel.

21) Caſtor Rhodius apud Eusebium in Chronicę p. 11. add. Marsham in Can. chronicę p. 292. ed. Lipf.

22) id. Marsham. in Can. p. 112.

X

rint mare mediterraneum. Quae vero ab his sint frequentata loca, quae ductae coloniae, cum id iam amplissimo tractauerit volumine Samuel Bochartus 23), nihil opus est iam pluribus commemorare verbis. Sidon, vrbis maritima, iam ante Abrahami aetatem, a Noachi pronepote, exstructa erat aptissima ad mercaturam faciendam 24).

Inter tot tantaque hominum studia ingrauescente Idolatria, ne periret germanus numinis cultus, prouidentissime a D E O cautum est. In primis autem ab hoc gens peculiaris, legibus diuinitus ornata munitaque, in qua filius D E I aliquando salutare hominibus munus obiret. Erat tum in terris Abraham, vir recti exempli et pietatis D E O probatae: qui rem diuinam iniquo loco, in Chaldaea, Idolatriae parente, sustinuerat. Huius gentem e ceterarum numero exemit: ipsoque datum, ne cum reliquis rursus confunderetur gentibus, primum circumcisionis signum et character, cui accessit Mosis temporibus eandem ob rationem Theocratia. Causa erat, ut viuo hoc testimonio arregetae totius orbis terrarum gentes de hominibus D E O reconciliandis spem fouverent indubiam atque exploratam. Deinde ut exemplum verae religionis non suatum per omnia tempora prostaret.

Illuxit autem hac in causa dupli ratione prouidentia diuina, et homine, diuinitus lecto; et loco, reique gerenda illustri theatro. Palaestina erat, vbi vir diuinus Abraham, D E O dicatos relinquens posteros, commorabatur. Porro res plurimae diuinitus in hac regione ab Abraham factae: fusae ab eo regum copiae: sermones cum D E O habiti decies; seruitus ex Sodomitico excidio frater: ut per Phoenices haec omnia ad homines perferrentur, longo locorum interuallo disiunctos. Deinde Abrahamus erat illustris vir, ipsis regibus familiaris, gentibus venerabilis, vt pote quem Aegyptii, quem Arabes, quem Phoenices maximi facerent. Res vero vel

23) Sam. Bochartus in Canaan sive de Phoenicum coloniis.

24) Edw. Simson in hist. vniuersi. p. 74 add. Christoph. Cellarius in Orb. Antiq. Tom. II. p. 379.

vel gestae ab eo vel actae, in oculos hominum, etiam summorum, vehementer incidentes, deumque significantes auctorem, reliquis dictis factisque eius indubiam et maximam conciliabant auctoritatem. Semper etiam apud profanos homines Abrahami nomen in laudibus positum, ut apud Philonem byblium, Berosum, Hecataeum, Io. Damascenum, Artapanum, Eupolenum, Demetrium, Iustinum, quos omnes excitauit Hugo Grotius 25), quibus tamen mistum orphicorum scriptorem personatum nolle, quod haec orphica partim a Iudeis supposita sunt, partim ab Christianis 26).

Sed forsitan promissio, Abrahamo diuinitus facta, propria modo eius erat posteris, nulloque spectabat pacto ad profanos. Idem sub initium noui foederis existimatum. Tum enim, cum deus hominem induisset, opusque diuinum in reconciliandis deo hominibus confectum esset, et iam mitterentur, a quibus laetissimum nuntius ad omnes gentes perferretur: nusquam placide accepta est legatio. Non ad se pertinere hoc beneficium. Iis modo prodesse, qui Iudei, et qui quondam lecti essent. Se, quod non orti essent ex eodem sanguine, atque ab Hebraeorum republica remoti, spe in Messiam esse depulsos. His vero ab Apostolo Paulo grauissime responsum, quod operae pretium est, iam breuiter indicare. Neque in praesentia, neque quondam, homines, in Abrahami posteris non numeratos, ex spe felicitatis, quam peperisset mors feruatoris, consequendae, esse deturbatos. Circumcisionem Abrahamo, et legem posteris, datam, non reddere homines deo acceptos, sed fiduciam in deo collacatam. Ipsum Abrahamum, etiamsi non circumcisum, deo gratum fuisse. Circumcisionem accepisse veluti signum gratiae et characterem, *εἰς τὸ ἔναν αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστεύοντων δι’ αὐτοῦ Βασιλεῖς, εἰς τὸ λαγυνθῆναι ἡγή αὐτοῖς τὴν δικαιούμην* 27), ut esset pater creditum omnium non circumciso-

B 2 rum,

25) Hugo Grotius de veritate christ. Relig. Lib. I. §. XVI.

26) vid. Gerh. Io. Vossius de Poetica Cap. XIII.

27) ad Rom. IV, II.

XII

rum, siue profanorum; ut et hi deo reconciliarentur; fuisse vero eum non patrem tantum posteriorum suorum, τοῖς δὲ ἐν περιοδοῦσι μόνον, sed omnium reliquarum gentium, qui eandem ac Abrahamus non circumcisus, deo probarent pietatem, ἀλλὰ καὶ τοῖς συρχέσι τοῖς ἕχεσι τῆς ἐν τῇ ὁμοβουλίᾳ πίστεως τῷ πατρὶς ἡμῶν Αβραὰμ 28). Eadem ratione quos usurpamus, patres Tertullianus 29), Irenaeus 30), Iustinus Martyr 31), Hieronymus 32). Sed sufficient haec, quae adeo sum reliquis de prouidentia diuina erga profanos homines praefatus commen-tationibus. Interim haec in tempore a me scripta esse confido, cum nostra aetate haec de profanis doctrina sit admodum controuersa, multis porro impedita difficultatibus, et ipse futurus proxime dies, qui illustre sifit prouidentiae diuinae in profanos documentum, me admonuerit: ad quem pio cultu prosequendum, Orationeque sollemni, benigne audienda, celebrandum Patronos et Fautores Illustrissimos, Summe Venerabiles et Praenobilissimos rei litterariae ac Generosissimos Nobilissimosque Ciues Illustr. Gymnasi humanissime inuitio. Diciturus est Nobilissimus et Humanissimus Ciuis Gymnasii illustris nostri, IOANNES ERNESTVS SIECKEL, Querfur-tensis, de eo, quod admirandum est in nati Salvatoris historia. Faxit deus immortalis, ut hoc die collatum diuinitus in nos beneficium, in hac temporum varia et suspiciofissima ratione, nobis perpetuo integrum maneat. Scripsi Weissenselsae ad Salam a.d. XXIV. Decemb. mens. Aer. vulg. CIO IOCC XXXXIIIL

28) ad Rom. IV, 12.

29) Tertullianus adu. Iudeos.

30) Irenaeus Lib. IV. C. 30.

31) Iustinus Martyr. in dial. Tryph.

32) Hieronymus in epist. ad Gal. Cap. III. add. Wolfi Cut. philol. ad Rom. IV. p. 74. seqq.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

AB:155056

VD 18

ULB Halle
003 085 112

3



TA → SL
nur 75 Blatt /

VDT7

R

P
ERGA

NA

AD

A.
IN IL

ILLV
SVMM
PRAENO
ET F

IOAN
SERENISS
SENFELSE
RIAR, L



DIVINA
VM SERVATOREM,
PRIMA

TVM
HRISTI

RANDVM

SACRAM

AD HOR. XII.
EI TEMPLO

STRESQVE,
ENERABILES,
OSQVE PATRONOS
IS AVG. CIVES
ISSIMOS

AT

WALTHER,
RTENSIS ET WEIS-
R PVBL. ORD. HISTO-
ORAL. ET POESEOS,
AVGVSTEI.

B.I.G.